

# GOSCELINUS

## CANTUARIENSIS MONACHUS.

### NOTITIA HISTORICA.

(OUDIN, *Comment. de Scriptoribus ecclesiasticis*, II, 961.)

Gotseannus, seu *Goscelinus*, S. Bertini in Artesia monachus, natione, ut creditur, Gallus, ex ordine divi Benedicti, monasticen in cœnobio Bertiniano primum professus, tum postea ad monasterium Sancti Augustini Cantuariensis in Angliam vocatus, ob eximias observantiæ regularis ac doctrinæ omnifariæ dotes, scripsit diligentissime omnium *Vitam sancti Augustini Cantuariensis archiepiscopi*, post Bedam, libro I *Historiæ Anglorum* cap. 23 et sequentibus, et libro II, capitibus 2 et 3, *duplici opusculo, majore scilicet et minore*, ut in præfatione sua enarrat num. 4. Illorum alterum post Lanfranci opera, tacito auctoris nomine editum reperitur a Dacherio anno 1648, Parisiis, in-folio. Alterum nempe majus opusculum nusquam editum, evulgatur Scicalo primo *Sanctorum ordinis divi Benedicti*, p. 499, cum libro *Miraculorum* ab eodem Gotselino composito. Prologus majoris operis incipit: *Dominis charissimis*, etc. Libellus autem incipit: *Potentissimus triumphator*, etc. Claruisse ipsum refert ad annum 1096 Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ* sæculo XI, pag. 629, ad annum 1110 Gerardus Joannes Vossius libro II *De historicis Latinis* cap. 48, pag. mihi 398, quorum utrumque verum esse potest. Præterea Gotselinus iste *Historiam translationis sancti Augustini duobus libris* sancto Anselmo Cantuariensi episcopo nuncupatis comprehendit, mss. penes Joannem Mabillon, quos dabit in publicum *Sæculo VI Sanctorum ordinis divi Benedicti*. Commendavit quoque scriptis *Vitam sancti Swithmi Wintoniensis episcopi*, quæ ipsa vel saltem ejus epitome apud Laurentium Surium exstat tomo IV, ad diem 11 Julii. Præterea *Vitas S. Laurentii archiepiscopi Dublinensis, Grimaldi abbatis, Erkenvaldi episcopi, Edgithæ, Milpurgæ et Witheburgæ virginum*. Item librum *De origine sancti Ivonis* et alterum *De translatione ac miraculis ejus* de quibus Vossius loco citato. Hanc habent *Acta sanctorum* ad diem 10 Junii, tomo II, pag. 287, ubi de S. Ivone episcopo Persa et tribus sanctis sociis in Anglia. Quam scripsit Goscelinus monachus Ramesiensis abbati suo Herberto inscriptam, creato 1087, ac post quatuor annos episcopo Nortwicensi facto, cujus encomium habetur in *Monastico Anglicano* pag. 1003. At Goscelinus postea monachus Cantuariensis ad S. Augustinum scripsit *Vitam S. Augustini Cantuariensis archiepiscopi* datam ad diem 26 Maii, atque alias plures *sanctorum Vitas*, habitus post Bedam secundus in laudibus SS. Angliæ celebrandis, uti de ipso testatur Malmesburiensis lib. IV *De gestis regum Anglorum*, cap. 1. Hic infra in prologo explicat, quænam ab Andrea Leucandro abbate Ramesiensi primo *vitæ* hujus auctore acceperit, quidque ipse

ex aliorum relatione addiderit. Quæ autem cap. 4 habentur, ab eodem auctore adjuncta sunt, cum adhuc viveret Herbertus Nortwicensis episcopus, anno 1119 22 Julii mortuus.

Nullus qui pompa majore opera Gotselini Bertiniani seu Cantuariensis monachi describat, Henrico Warthon eruditissimo Anglicarum rerum viro, qui plura ejusdem opuscula ex mss. codicibus eruta evulgavit, tomo II *Angliæ Sacræ*, de quo ita in præfatione, num. 3, pag. 6.

Goscelinus sive Gotselinus, Bertinianus vulgo dictus, narrante Baleo, Cent. XIII, cap. 17, patria Morinensis erat, monachus ad S. Bertini fanum. Postea crebrescente eruditionis fama ab Anselmo archiepiscopo in Angliam accitus, primo apud Ramesiam sub Hereberto abbate, postea apud S. Augustini Cantuariense cœnobium vitam monasticam duxit, et plures sanctorum Anglicanorum Vitas litteris consignavit. Paria habet Vossius, lib. II *De Historicis Latinis*, cap. 48, nisi quod ordine inverso, illum monachum primo Cantuariensem, postea Ramesiensem fuisse velit. Male uterque. Si enim Gotselinus in Angliam ab Anselmo archiepiscopo evocatus fuerit, nequam potuit inter Ramesienses degere sub Hereberto abbate, qui abbatiam anno 1091 dereliquit. Certiora habet de Gotselino Willelmus Malmesburiensis, lib. IV *De gestis regum Anglorum* in fine, inquit: *Goscelinus monachus de S. Bertino, cum Heremanno episcopo Salesbericæ quondam Angliam venerat* (Heremannus post triennem moram apud S. Bertinum factam, in Angliam rediit anno 1058), *insignis litterarum et cantuum peritia. Is multos episcopatus et abbatias perlustrans tempore, præclaræ scientiæ multis locis monumenta dedit, in laudibus sanctorum Angliæ nulli post Bedam secundus, musicæ porro palmam post Osbernum adeptus. Denique innumeras sanctorum Vitas stylis extulit, veterum vel hostilitate amissas, vel informiter editas comptius renovavit. Hujus quoque (S. Augustini Cantuariensis) translationis seriem ita expolivit ut eam præsentibus monstrasse digito, futurorumque videatur subjecisse oculo. Se monachum fuisse Sancti Augustini Cantuariensis, Gotselinus in utraque præfatione ad Vitam S. Augustini testatur. Scripsit enim duplicem Historiam de ejusdem Vita. Fecimus (inquit in præfatione ad Hist. majorem) de eadem materia duos codices, majorem et minorem. Majorem edidit Joannes Mabillonius in Actis Benedictinorum Sæculo I, pag. 499, addito etiam libro ejusdem majori *De miraculis S. Augustini*, ibidem pag. 535. Historia minor *De Vita*, et alia minor etiam *De miraculis S. Augustini*, in Bibliothecæ Lambethanæ codice, inscriptæ Gotselino reperiuntur. Ex hoc*

*Vitam minorem* descripsimus et typis hoc tomo II, pag. 55, evulgari curavimus, ne primo apud Anglos fidei Christianæ prædicatori sua apud Anglos laus deesset, quamvis perpauca de illo Gotselinus noverit, quæ non antea Beda scripserit. Longe amplior est *Historia major*, quæ tamen si fabulas et inanes verborum phaleras omittas, nihil *Historiæ minori* intactum habet. *Minorem* antea ediderat Dacherius in appendice ad Lanfranci opera, Parisiis 1648, pag. 57, sed auctoris nomine et integro capitulo 36 destitutam. Plurima Gotselini opera in codice perantiquo et pereleganti Cottoniano *Vespasianus B. 20*, isthoc ordine exstant :

« *Historia minor de Vita S. Augustini Cantuariensis archiepiscopi.*

« *Historia minor de miraculis S. Augustini.*

« *Historia major de Vita sancti Augustini ejusdem*

« *Historia major de miraculis S. Augustini.*

« *Sermo in Festivitate S. Augustini.* Incipit : *Præclara diei præsentis solemnitas.*

« *Libri 2 ad Anselmum de translatione S. Augustini, anno 1091, 6 Septembris facta.* Hos Sæculo sexto Benedictino in lucem proferre cl. Mabillonius spondet. *Sæculum VI sanctorum ordinis divi Benedicti*, quod est ab anno 1000 ad 1100 colligere cœpit dominus Luca D'Achery congregationis S. Mauri monachus, D. Joannes Mabillon et Theodoricus Ruinart ejusdem congregationis, illustrarunt et cum indicibus necessariis ediderunt, 2 vol. in-folio, Parisiis 1701, apud Carolum Rebusstel. His libris continua serie subjungitur *Vita S. Petardi.*

« *Vita S. Mildredæ.*

« *Translatio S. Mildredæ, et institutio monasterii ejusdem.*

« *Vitæ sanctorum Laurentii, Melliti, Justi, Honorii, Deusdedit et Theodori archiepiscoporum Cantuariensium.* In his quidquid historicum est, ex Beda totidem fere verbis desumptum est, ampliatis duntaxat magnifice Bedæ sententiis, et miraculis multis in singularum fine apposis. In *Vita S. Laurentii* auctor longa digressionem facta, fidem sui temporis miraculis conciliare nititur.

« *Vita Adriani abbatis S. Augustini, quem anno 708 obiisse refert.*

« *Historia de translatione ejusdem, tempore Wilhelmi regis facta.*

« *Libellus contra inanes sanctæ Mildredæ usurpatores, probans corpus ejus non in parochia S. Gregorii Cantuariensis, in ecclesia ficto nomine Miltrudis nuncupata, sed in cœnobio S. Augustini, ad quod ab Ælstano abbate tempore Canuti regis translatum est, adservari. Hactenus codex Cottonianus.*

« Præter hæc a Gotselino Baleus scriptas memorat *Vitas SS. Swithuni, Grimaldi, Erllenwaldi, Eadgithæ, Milburgæ, Witheburgæ et Ivonis, et Historiam de translatione Ivonis.* Porro vetustum catalogum sanctorum in Anglia sepultorum Saxonice scriptum, Latine convertisse dicitur ab Usserio, *Antiquitatum Britannicæ* cap. 2, pag. 15. Cujus versionis plurima exemplaria in bibliothecis nostratibus reperiuntur. Ejusdem *Cronicam* laudat Guillelmus Thorn in *Historia S. Augustini*, col. 1783. Nec de alio intelligenda esse arbitror, quæ antiquum Ecclesiæ Eliensis registrum habet, cap. 10. Tempore Symeonis abbatis (Eliensis, qui ab anno 1082 ad 1094 præsedidit) intererat inter monachos quidam Gocalinus nomine, disertissimus, undique per Angliam *Vitas, miracula et gesta sanctorum sanctarumque in Historiis, in Prosis dicando mutavit. Hic scripsit prosam S. Etheldredæ, cujus initium est : Christo Regi sit gloria. Obitum illius Obituarium Sancti Augustini Cantuariensis ita commemorat : Idibus Maii obiit Gezelinus, monachus et sacerdos. Vitam S. Wereburgæ virginis auctore Goscelino monacho, edidit Godofridus Henschenius ad diem 3 Februarii tomo I, pag. 386; quam illi asserit in commentariis ad *Vitam* præviis paragrapho 1, num. 2, pag. 384. Anno quoque 1688, Antuerpiæ apud Michelem Cnoharum Daniel Papebrochius in *probatis sanctorum Vitis*, tomo VI, Maii mensis ad diem 26, pag. 375 et sequentibus, edidit opuscula Goscelini omnia ad *Vitam S. Augustini Cantuariensis episcopi* spectantia, nimirum *De vita et miraculis* libros 2, *De translatione* libros 2 quibus commentarium p. 373 præmisit, ad paginam autem 443 pertingunt. In eadem autem Cottoniana Bibliotheca sub effigie Vibellii, littera c, codice 8, n. 15, exstat *Vita sancti Kentigeani confessoris, qui et Ingalschu nominatur, per Joscelinum.* »*

Commendat eximie hunc *Goscelinum* Guillelmus Malmesburiensis lib. iv *De regibus Anglorum*, cap. ultimo, et in libro *De Dorobernensibus archiepiscopis.* Cæsar Baronius, in *Annalibus* ad annum 862, *Gotzeinum* hunc *Morinensem* appellat, alii *monachum Bertinianum*, quæ cum superioribus minime pugnat; nam ex oppido Sancti Audomari seu abbatis Sancti Bethini in Angliam a S. Anselmo evocatus est. Plura de illo Joannes Mabillon in observationibus præviis ad *Vitam sancti Augustini Cantuariæ archiepiscopi, Sæculo I Sanctorum ordinis divi Benedicti*, pag. 498; quod anno 1668 Parisiis in-folio apud Carolum Sarreux impressum est. Gerardus Joannes Vossius, lib. II *De historicis Latinis*, cap. 48, pag. mihi 398. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica*, verbo *Gotselinus*, pag. 298, editionis 1643, Lovani in-4<sup>o</sup>.

## S. AUGUSTINI ANGLORUM APOSTOLI

### VITA MAJOR.

(Vide *Patrologiæ tom. LXXX, col. 41.*)

### EJUSDEM VITA MINOR.

(Vide *Patrologiæ tom. CL, col. 743.*)